



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Formularium Episcopale

Barbosa, Agostinho

Coloniae Agrippinae, 1680

Formula LXXI. Resignationis faciendae de beneficio per Procuratorem coram Episcopo cum ejus admissione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10456

tu, quibus supra, præsentibus ibidem N. N. & N. testibus ad præmissa vocatis, atque rogatis D. resignans suo se hic subscripsit nomine &c.

FORMULA LXXI.

Resignationis faciendæ de beneficio per Procuratorem coram Episcopo cum ejus admissione.

IN nomine Domini &c. R. Presbyter N. Canonicus præbendatus in Collegiata Ecclesia sancti N. hujus Bracharensis diocesis devotionis zelo ductus ingrediendi Religionem S. N. desiderans & affectans juxta formam constitutionis felicis rec. Pii V. eisdem Canonicatum & Præbendam, quos in dicta Ecclesia obtinet, resignare &c. ideo in manibus præfati Domini Archiepiscopi per discretum Virum N. Clericum Procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, prout de sua procuracionis mandato legitime per publicum instrumentum fidem fecit, ex prædicta causa, spontè, purè, & liberè, ac simpliciter resignavit, idemque Dominus Archiepiscopus resignationem hujusmodi sic, ut præmittitur ut in manibus suis factam admisit, & recepit, præstato per eundem procuratorem, nomine quo supra, procuratorio, quod in hujusmodi resignatione non intervenit fraus, dolus, seu quævis illicita pactio, ad sancta Dei Evangelia corporaliter juramento &c.

Vide sup. alleg. 69. num. 43.

FORMULA LXXII.

Litterarum collationis Parochialis vacantis per resignationem ex causa permutationis pro Canonicatu, & præbenda.

D Rodericus &c. Dilecto nobis in CHRISTO N. Presbytero nostræ Diocesis, salutem in Domino sempiternam; Desideria justa petentium congruo favore prosequenda sunt, in votis eorum, quæ à rationis tramite non discordant, nosque libenter ad ea exhibemus promptum & benignum. Cum itaque hodie tu per te ipsum Canonicatum & præbendam Ecclesiæ S. N. & dilectus nobis in CHRISTO N. Parochialem Ecclesiam S. N. nostræ diocesis, quos obtinebat, per dilectum nostrum N. Procuratorem suum ab eo ad hoc specialiter constitutum, ex causa permutationis de ipsis inter vos fiendæ, & non aliâs, spontè, & liberè resignaveritis in manibus nostris; Nosque Resignationem ex causa prædicta admissis votis tuis, in hac parte favorabiliter annuentes, Parochialem Ecclesiam prædictam per hujusmodi resignationem vacantem, tibi que per RR. Patres examinatos in synodo diocæsana deputatos, examinatus & idoneus repertus fuisti, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, auctoritate nostra ordinariâ conferimus, assignamus & providemus etiam de eadem. Teque coram nobis personaliter